DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CHOLERA.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

CHOLERA:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu, et Nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

ROBERTUS WILSON, A. M.

CAROLINENSIS MERIDIONALIS,

SOCIET. REG. PHYS. EDIN. SOC. HON. ET PRÆS. ANN.

SOCIET. MED. EDIN. SOC.

SOCIET. AMER. PHYS. EDIN. SOC. EXTR. ET PRÆS. ANN.

" PAL.—*Quid tibi est?* CAP. *Lien necat, renes dolent,*
" *Pulmones distrahuntur, cruciatur jecur,*
" *Radices cordis pereunt, hiræ omnes dolent.*
" PAL. *Tum te igitur morbus agitat hepatarius.*"

M. ACC. PLAUT. *Curcul.*

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT ADAMUS NEILL CUM SOCIIS.

M DCC XCIV.

CAROLO COTESWORTH PINCKNEY,

JURIS ET ÆQUI

QUAM PERITISSIMO,

LITERISQUE HUMANIORIBUS

INSIGNITER ORNATO;

OB

BENEVOLENTIAM

PATRIÆQUE AMOREM,

OMNIBUS BONIS

GRATISSIMO ACCEPTISSIMOQUE;

HANC DISPUTATIONEM

D. D. DQUE

ROBERTUS WILSON.

JOANNI SIMPSON,

MERCATORI LONDINIENSI,

VIRO INTEGERRIMO

OMNIBUSQUE CONSPICUO VIRTUTIBUS;

OB

PLURIMA ACCEPTA BENEFICIA,

PERTENUE HOC

GRATI ANIMI

SIGNUM

OFFERT

ROBERTUS WILSON.

ALEXANDRO WOOD,

EDINBURGENO;

INSIGNI CHIRURGIÆ SCIENTIA

PRÆCLARISSIMO;

PEREXIGUUM HOC

ANIMI

MAXIMIS BENEFICII VINCULIS

OBSTRICTI

TESTIMONIUM

PALAM

TRIBUIT

ROBERTUS WILSON.

CORRIGENDA.

§ XVI. 2. *lin.* 9. *pro* repiriri *lege* reperiri

§ XXVI. *lin.* 4. *pro* colore *lege* calore

§ XLII. 2. *lin.* 7. *pro* consimiles, *lege* consimiles dejiciunt,

§ XLIII. 3. *lin.* 8. *pro* gangrenâ *lege* gangrænâ

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CHOLERA.

---

§ 1. DE ſævo et periculoſo ſcripturus ſum morbo, cujus magna ſævitia plurimi hominum generis, in calidis potiſſimùm regionibus, quotannis perimuntur. Rem ſatis, præ magnitudine, dilucidè tractare ut valeant humeri, admodum timeo. Cùm autem, quid ſit verum, proferendi magis ſtudioſus ſim, quàm per incognita juveniliter ruere audax,

mecum primum conamen aggrediente aderit, ut ſpero, vocatus Apollo.

II. Hìc loci, quibus in regionibus potiſſimùm ſæviat cholera; quo anni tempore, et qua ætate impetus faciat; cuinam corporis temperamento et habitudini inſit maxima in eam proclivitas; cuinam hominum ordini potiſſimùm incidat; quàm pauciſſimis priùs dicendum eſt, quàm ad majora pergamus.

III. *Regio.*—1. Quibus in regionibus maximè ſævit cholera, eæ ſunt calidæ. In utraque enim India, atque in iis quidem Asiæ, Africæ, Europæ et Americæ partibus, quæ utrinque metis ſolſtitialibus, et adhuc magis circulo æquinoctiali, adjacent, incolarum multos quotannis afficit, neque rarò improviſam iis atque inopinatam mortem affert.

2. Verùm

2. Verùm enimvero non in eos, qui calidissima loca habitant, solos a cholera sævitur. Quibus enim regionibus est calor remissior, earum etiam incolas haud raró lacessit; neque ii profectò, qui vitam ibi agunt, ubi, præ frigore, terra frugibus infœcundior est, ab ejus impetu semper immunes sunt.

IV. *Anni tempus.*—Eo anni tempore impetus potissimùm facit cholera, quo maximè caletur. In Britannia, ut certiores nos facit Sydenhamus, auctor verbis interdum incomptus et quidem horridulus, sed veri semper pertinax, "eam anni partem, quæ æstatem fugientem, atque autumnum imminentem, "complectitur, unicè ac eadem prorsus fide, "qua veris primordia hirundines, aut insequentis tempestatis fervorem cuculus, amare "consuevit (*a*):" atque profectò, ubique terrarum

(*a*) Vid. Sydenham. *Oper. Omn.* edit. Lugdun. Batav. 8vo. ann. M,DCC,XXVI. p. 175.

rarum orbis, eo invadere tempore incipit, quo maximus urget calor.

V. *Aetas.*—Omni ætate homines, ſi iis inſit proclivitas, et ſi cauſis ſimul excitantibus objiciantur, in choleram incidant. Qui autem ætate ſunt mobiles, præ cæteris, et irritabiles, ii huic fortaſſe morbo in primis patent. Quocirca infantes potiſſimùm afficit et juniores, qui utique iis, quæ incitant, viribus facilè raptimque moventur. In nonnullis profectò Americæ Septentrionalis regionibus, tanta infantibus ineſt in choleram proclivitas, ut graviſſimè in eos quotannis ſæviat, et a Rushio ſit, neque profectò ineptè, *cholera infantum* appellata (*b*).

VI. *Corporis*

(*b*) Vid. Rush. *Medical Inquiries and Obſervations*, edit. Philadelph. ann. M,DCC,LXXXIX. p. 112.

VI. *Corporis temperamentum.*—Homines, qualicunque ſint corporis temperamento, huic interdum morbo obnoxii ſunt, cauſis excitantibus ſi ſint objecti. Teſte autem CHALMERO, eos, præ cæteris, adoritur, in quorum ventriculis ingenerari ſolet nimius acor (*c*). Hujuſmodi enim hominibus, ut idem cenſet auctor, langueſcit non ventriculus ſolùm, ſed etiam, per totam longitudinem, inteſtina; et, inſuper, organa, quorum eſt aliquid ex ſanguine irrequieto ſecernere, haud parùm laxantur. Quibus eſt talis corporis habitudo, ii choleræ imprimis opportuni ſunt (*d*).

VII. *Hominum ordo.*—In choleram imprimis incidunt ſplendidi et opulenti; quippe quorum corpora, præ ignavia et laxitate, nimis

(*c*) Vid. LIONEL. CHALMER. *Account of the weather and diſeaſes of* SOUTH CAROLINA. edit. LONDIN. ann. M,DCC,LXXVI. vol. I. p. 200.

(*d*) Vid. CHALMER. ibid.

mis irritabilia, viribus quibuſlibet incitantibus facilè afficiantur.

DEFINITIO.

VIII. Morbus, de quo diſputatur, a CULLENO his verbis luculenter definitur:

"Humoris bilioſi vomitus, ejuſdem ſimul "dejectio frequens; anxietas; tormina; ſu-"rarum ſpaſmata. (*e*)."

ENARRATIO SIGNORUM.

IX. 1. In propinquo eſſe choleram, prænunciant aliquando ructus; dolores ventriculi et inteſtinorum

(*e*) Vid. CULLEN. *Synop. Noſolog. Method.* tom. II. Gen. LX.

inteſtinorum acres et pungentes; *cardialgia* et anxietas (*f*)

2. Verùm plerumque, nullis hujuſmodi ſignis præeuntibus, inopinantes homines ſubitò (*g*), et, ex adverſo ſimul et a tergo, quaſi ex inſidiis invadit; neque raro, brevi quidem tempore, occidit.

X. 1. Cholerâ de improviſo (IX. 2.) invadente, ventriculus, quæ contineat, ea rejicit; et ſimul, mirum in modum, fluit alvus. Quæ initio ſurſum et deorſum ejiciuntur, iis inſunt reliquiæ cibi (*h*), inſignis acrimonia, et color plùs

(*f*) Vid. TUCKER. HARRIS. Tentam. Inaug. *De Cholera Spontanea*, EDIN. ann. M,DCC,LXXI. p. 4.

Necnon JOANN. LEMAN. Diſput. Inaug. *De Cholera*, EDIN. ann. M,DCC,LXXVIII. p. 11.

(*g*) Vid. HARRIS. et LEMAN. ibid.

(*h*) Vid. HARRIS. Tentam. ſuprà citat. p. 4.

plùs minùſve viridis (*i*). Haud multò autem pòſt eveniunt flava, quæ vel omnino, vel ſaltem maxima ex parte, bile conſtant.

2. Quæ autem ſuprà infràque erumpit bilis, ei ab initio non eſt flavus color. Ut enim certiores nos facit CELSUS, eſt "primùm aquæ "ſimilis, deinde ut in ea recens caro lota eſſe "videatur, interdum alba, nonnunquam ni-"gra, vel varia (*k*)."

XI. Præter ea (X.), inflatio eſt, et inteſtina torquentur (*l*): æger dolore, quaſi e ventriculi eroſione, affligitur; admodum ſitit; et frigidos,

(*i*) Vid. CHALMER. oper. ſup. citat. vol. I. p. 201.

(*k*) Vid. CELS. *De Medicin.* lib. iv. cap. xi. edit. *Almeloveenian.* LUGD. BAT. ann. M,DCC,XLVI.

(*l*) Vid. CELS. ibid.

frigidos, præ cæteris, potus petiſſit (*m*): arteriæ initio celeriter plerumque et frequenter, dum ſimul exæſtuat anxius æger, moventur; non rarò etiam, ſub finem, creberrimè, imbecilliter et inæqualiter: æger, inſuper, perquam nauſeat, et ſudore gelido permadet (*n*): crura, porrò, et brachia contrahuntur: animus deficit: extrema frigeſcunt: digiti incurvantur: vertigo (*o*) fit.

XII. Præter ea verò, quæ ſuprà (X.—XI.) comprehenſa ſunt, mirum in modum labant vires: cor palpitat: æger admodum inquie-

(*m*) Vid. Leman. Diſput. ſup. citat. p. 11.

(*n*) Vid. Aret. Cappad. *De cauſ. et ſig. acut. morb.* edit. Oxon. M,DCC,XXIII. lib. ii. cap. v. Vid. Sydenham. oper. p. 175.

(*o*) Vid. Aret. Cappadoc. *De cauſ. et ſig. acut. morb.* lib. ii. cap. v. Vid. quoque Cels. ibid. et Sydenham. ibid.

tatur, et membra huc illuc assiduè jactat; totas noctes pervigilat; singultit; urinæ nihil reddit; et toto corpore convellitur (*p*): vox intercidit (*q*): cadaverosa denique fit facies, et livescit (*r*).

XIII. Hæc (X.—XI.—XII.) signa, aliaque his consimilia, quæ astantes magno timore perfundunt, brevi spatio, tertio plerumque die, rariùs quarto (*s*), interdum viginti quatuor ferme horis, ægro mortem afferunt. Siquando, id profectò quod rarissimè accidit, ultra septimum diem perducatur cholera, de propria forma semper degenerat (*t*).

XIV.

(*p*) Vid. HARRIS. Tentam. sup. citat. p. 5.

(*q*) Vid. ARET. CAPPAD. loc. modò citat.

(*r*) Vid. LEMAN. Disput. sup. citat. p. 11.—12.

(*s*) Vid. LEMAN. ibid.

(*t*) Vid. LEMAN. ibid.

XIV. His (X.—XI.—XII.—XIII.) de cholera generaliter dictis, hìc loci non a re erit, de *cholera infantum* ſpecialiter et productiùs differere, priuſquam ad cætera diſputamus.

XV.—1. Cholera infantum interdum a diarrhœa incipit; quæ, complures per dies, proſpera interim cæteroquin valetudine, perſtat: ſed ſæpius a vomitu et purgatione gravibus, atque ardente ſimul febre (*u*).

2. Quæ ſuprà infràque erumpunt, flava plerumque ea vel viridia ſunt: verùm dejiciuntur nonnunquam mucoſa et ſanguinea quædam, quibus ineſt ne minimum quidem bilis. Quinetiam limpida interdum, haud fecùs atque ipſa aqua, ſunt ea, quæ ſurſum deorſumque eveniunt (*x*).

3.

(*u*) Vid. RUSH. Opuſc. ſup. citat. p. 112.

(*x*) Vid. RUSH. Opuſc. p. 112.—113.

3. Qualiacunque dejiciuntur, cum iis ſæpenumero eliminantur vermes. Cùm eò uſque a morbo proceſſum fuerit, infantes multùm dolere videntur. Pedes attrahunt; neque eodem aliquantiſper ſitu ſemet habere poſſunt (*y*).

4. Arteriæ celeriter, imbecilliterque micant. Caput, præter ſolitum, calet; dum, interea, extrema nihilo plùs calent, aut aliquantùm etiam frigeſcunt (*z*).

5. Quæ adeſt febris, ea ad *intermittentium* genus pertinet, et manifeſtè, imprimis veſperaſcente die, ingraveſcit (*a*).

6. Eò uſque interdum capite turbatur, ut ægroti non ſolùm delirent, ſed etiam inſaniant;

(*y*) Vid. Rush. opuſc. ſup. citat. p. 113.

(*z*) Vid. Rush. opuſc. ibid.

(*a*) Vid. Rush. opuſc. ibid.

ant; adeo profecto, ut annuant viciſſimque renuant, et matres aut nutrices modò unguiculis laceſſere, modò morſiunculis, aggrediantur (*b*).

7. Intumeſcit ferme non ſolùm abdomen, ſed etiam facies et membra. Langueſcunt oculi, et in orbitas quaſi receſſiſſe videntur. Semiapertis plerumque oculis ægroti dormiunt; neque raró uſque eò parùm ſenſile redditur corpus, ut ipſi oculi aciei muſcæ, palpebris interea, quò has aufugiant, nihilo magis in motum concitatis, inſidere conſpiciantur (*c*).

8. Per totum interdum morbum, ægroti continenter ferme vomunt, alvo interea non profluente; ſæpius autem multo fluit alvus, vomitione interea nullâ. Quæ dejiciuntur, ea

(*b*) Vid. Rush. opuſc. ibid.

(*c*) Vid. Rush. opuſc. ibid.

ea magnâ plerumque copiâ ſunt, et fœtent admodum; ſunt verò interdum fœtoris expertia, atque potum et cibum, quos adhibuerint ægri, referunt (*d*).

9. Paucis nonnunquam diebus, mortem affert hic morbus. Viginti quatuor circiter horis, morte infantem afficere ſemel vidit RUSHIUS. Sed certiores nos facit præclarus hic auctor, fugaciorem eſſe vel longinquiorem, pro anni tempeſtate et cœli temperie. Frigidulus enim dies vim ejus minuit haud rarò, efficitque ut proſperè finiatur (*e*).

10. Verùm etiamſi cholera infantum brevi admodum (XV.—9.) curſu nonnunquam finiatur; tamen, teſtante RUSHIO, ſæpe, ſignis deinceps aliquantùm varia, in ſex hebdomadas,

(*d*) Vid. RUSH. opuſc. ibid.

(*e*) Vid. RUSH. opuſc. ibid.

das, imo in duos interdum menſes, producitur (*f*).

11. Siquando ita (XV.—10.) protracta, cholera ſit lethaliter evaſura, mors lento gradu accedit, ejuſque impetum exitioſum oblata ex longinquo multa ſigna infeſta prænunciant. Adeo emacreſcit corpus, ut oſſa, cute perruptâ, in conſpectum veniant: liveſcit æger hìc illic; ſingultat; convellitur: cadaveroſa admodum fit facies: et os internum exulceratur. Cùm eò uſque proceſſum ſit, rariſſimè profectò infantes ſervantur (*g*).

SEDES.

XVI.—1. Ex notis, quibus inſignitur cholera, ſatis conſtat, inteſtino canali toti inſidere.

(*f*) Vid. Rush. opuſc. ibid.

(*g*) Vid. Rush. opuſc. p. 114.

re. Incifis autem cadaveribus, affecta, præ cæteris partibus, confpiciuntur ventriculus et *duodenum;* utpote quæ gangrænâ fœdata exploranti *anatomico* femet offerant (*h*). Celsus de fede hujus morbi loquens, hifce verbis utitur: "hic quidem morbus et acutus eft, et "inter inteftina ftomachumque verfatur fic, "ut, cujus potiffimùm partis fit, non facilè "dici poffit (*i*)."

2. Ultra autem has (XVI.—1.) partes, patet hic morbus. Malè enim afficiuntur et vefica, qua continetur bilis, et ductus, quo in *duodenum* rectâ viâ profluit; neque raro hic adeo ampliatur, ut digitum auricularem intromittat. Alia fimul figna adfunt, quæ redundare

(*h*) Vid. Hoffman. *oper. omn.* edit. Genev. ann. M,DCC,LXI, tom. iii. fect. ii. cap. viii. § viii. et ix.

(*i*) Vid. Cels. *De Medicin.* lib. iv. cap. xi.

dundare bilem indicant (*k*). Huc accedat, quòd certiores nos facit Bonetus, ipſum jecur aridum et exſuccum repiriri (*l*).

XVII. His (IX.—XVI.) de notis quibus inſignitur cholera, et de ejuſdem ſede compreſsè dictis, nunc de cauſis, quibus efficiatur, quàm breviſſimè differendum eſt.

DE CAUSIS.

XVIII. Cauſæ, ex quibus originem ducat cholera, duo in genera poſſunt dividi; quorum unum cauſas ejus *remotiores* complectitur, alterum *proximam*.

(*k*) Vid. Bonet. *Sepulchret.* edit. Genev. ann. M,DC,LXXIX, tom. ii. lib. iii. ſect. ix. obſervat. ii.

(*l*) Vid. Bonet. *Sepulchret.* ibid.

DE CAUSIS REMOTIORIBUS.

XIX. Ex caufis hujus generis nonnullæ tantummodo opportunum ad choleram corpus faciunt; nonnullæ, in corpore jam opportuno facto, hanc excitant. Quapropter, *prædifponentes* appellantur illæ caufæ; hæ autem *excitantes*. De utraque fpecie perpauca dicenda funt.

XX.—1. *Caufa prædifponens*.—In choleram proclivitas in laxitate mufculofarum totius corporis, præcipuè autem inteftinorum, fibrarum eft, nobis opinantibus, ponenda. Hic enim morbus juniores, imprimis pueros (*m*), atque otiofos quibus funt corpora refolutiora, quàm provectiores ætate (*n*), et laboriofos quibus firmiora, multò fæpius afficit.

2.

(*m*) Vid. Aret. Cappad. *De Cauf. et Sig. Acut. Morb.* lib. ii. cap. v.

(*n*) Ibid.

2. Quinetiam, in calidiſſimis regionibus, et dum ſitientes agros torreat Sirius, graviter ab eo ſævitur; dum in frigidioribus orbis terrarum locis, et remiſſioribus tempeſtatibus, infeſtos ferme nunquam, vel ſaltem rariſſimè, homines habet (*o*).

3. Præterea, ex hac (XX.—1.) corporis reſolutione, magna ex parte, imo prorſus ferme, pendet nimia ea inteſtinorum irritabilitas, quæ, ut infrà (XXVIII.—XXX.) aggrediemur probare, *proxima* choleræ cauſa videtur.

XXI. *Cauſæ excitantes.*—Quibus concitatur cauſis morbus, de quo hic diſputatur, eæ minimè ſemper manifeſtæ ſunt. In proclivibus enim morbum efficiant cauſæ etiam leviſſimæ, qualeſque vix, et profectò ſæpenumero ne vix quidem,

(*o*) Vid. Aret. Cappad. ibid.

quidem, evidentes ſint ipſi ægroto, nedum medico.

XXII. In iis autem, quibus nondum tanta ineſt in morbum proclivitas, evidentiores quædam ſunt cauſæ, quæ hunc concitare obſervantur. Hæ quænam ſint, nobis, hìc loci, compreſſè dicendum eſt.

XXIII. Evidentiorum (XXII.) cauſarum, quæ choleram concitant, aliæ ipſi ventriculo et inteſtinis, aliæ externo corpori, admoventur.

XXIV. Primi (XXIII.) generis ſunt in primis venena, arſenicum, velut, et hydrargyrus *muriatus* (*p*): cathartica et vomitoria acriora, *eſula*, putà, et *vitrum antimonii*, intemperantiùs et incommodiùs propinata (*q*): alimenta

(*p*) Vid. HOFFMAN. oper. omn. tom. iii. ſect. ii. cap. viii. § xi.

(*q*) Vid. HOFFMAN. ibid. § xii.

alimenta concoctu difficilia (*r*); vel ex fermentescentibus, pinguibus, aut dulcibus confecta (*s*): fructus, cucumeres, nimirum, *melones*, pepones, mala Persica, pruna, uvæ, cerasa (*t*); præcipuè autem fructus immaturi (*u*); et hinc, aliqua saltem ex parte, reddi potest ratio, quare eo potissimùm anni tempore invadat cholera, quo abundant fructus, quos, etiamnum crudos neque coctos, homines, præ torrente æstu, sitientes cupienter comedunt.

XXV. Ex causis secundi (XXIII.) generis, præcipuæ sunt frigus et humor corpori ca-

lefacto

(*r*) Vid. Sanderis. *Treatise on the Structure, Economy, and Diseases of the Liver*, edit. Lond. ann. M,DCC,XCIII, p. 142.

(*s*) Vid Hoffman. oper. ibid. § xiii.

(*t*) Vid. Hoffman. ibid.

(*u*) Vid. Sanderis. opusc. sup. citat. p. 142.

lefacto admota. Hæc plurimùm ad choleram concitandam pollere, ſatis eo conſtat; quòd, vel calidiſſimo anni tempore, rarò inteſtina corripit hic morbus, niſi poſtquam graves imbres cœlum humidum reddiderint, et, vaporationi locum dando, corpora hominum calore priùs laxata magnopere refrigeraverint.

XXVI.—1. Quo modo frigus (XXV.) choleram efficiat, explicari, aliqua ſaltem ex parte, poteſt. Humor enim frigidus externo corpori, imprimis diutino colore plurimùm laxato, admotus, exhalationem cutis reprimit; acriaque admodum forſan ea, quæ per cutis ſpiramenta debent corpore excerni, interiora verſus, potiſſimùm canalim alimentarium et portæ venam, repellit.

2. Ob hunc (XXVI.—1.) repulſum, inteſtina inſolito ſtimulo irritata, in motus enormes

mes concitantur. Ventriculus ideo, graviter vomendo, contenta ſurſum rejicit; ſimulque inteſtina fœdiſſimâ proluvie continenter ferme vexantur et exinaniuntur. Quæ ipſo initio ſuprà infràque erumpunt, ea profectò naturalia plerumque ſunt; ſed, haud multò pòſt, proprio colore amiſſo, bile decolorantur, quam ductus, quibus fluit hic liquor, incitato inteſtinorum motu quaſi emulſi, in *duodenum* ſuffundunt.

3. Solicitatis (XXVI.—2.) ductibus, quibus fluit, fel ſolito uberiùs ſecernitur; et, ut alia ſecreta, mucus, nimirum, et lachrymæ, quo uberior eſt, eo fortaſſe acrior. Veri quidem ſimillimum eſt, ut opinatur Sanderisius, gravis utique auctor, bilem non probè ſecerni, ſed naturâ inter bilem naturalem et ſanguinem intermediâ eſſe. Fortaſſe enim, ut eidem auctori videtur, ob incitatum ſanguinis motum, globuli plurimi rubri nihildum mu-

tati

tati ex capillaceis arteriis impelluntur in *poros*, quibus fluit bilis; et cum felle commisti, per ductum hepaticum, in *duodenum* profluunt (*x*). Si reipsa ita sit, minimè profectò mirum est, si, dum urget cholera, bilis, eodem quo redundat tempore, fit solito acrior, ideoque intestina nimiopere incitet.

4. Præ insolita (XXVI.—3.) copia acrioris forsitan bilis, intestina adhuc magis enormiter et perturbatè commoventur; concitatissimique eorum motús, ut secernatur bilis adhuc copiosior et acrior, vicissim efficiunt. Hoc modo intestina, in motus vehementes concitata, bilis et vim et acritudinem, præter solitum, augent; et insolita bilis vis et acritudo vicissim concitant intestina; neque rarò, hanc ob rem, eò sævitiæ brevi quidem tempore procedit morbus, ut, nisi ei opportunè

(*x*) Vid. Sanderis. opusc. sup. citat. p. 143.

tunè obſiſtatur, vires ægri prorſus exhauriat, eumque interimat.

XXVII. Cauſis, quæ choleram concitent, iram vehementiorem annumerat HOFFMANNUS (*y*); et profectò a medicis enarrantur exempla, ex quibus, homines irâ excandeſcentes in lethalem choleram reapſe incidiſſe, conſtat (*z*). Idem, porrò, auctor certiores nos facit, teneros infantes cholerâ, quam concitaverit lac matribus irâ graviter commotis exſuctum, ſæpenumero perire (*a*).

(*y*) Vid. HOFFMAN. Oper. tom. iii. ibid. § xiv.

(*z*) Vid. *Act. Med.* BEROL. vol. viii. p. 80.
PLATER. *Obſerv.* lib. iii. p. 754.
BORELL. *Cent.* ii. Obſerv. 27. p. 121.

(*a*) Vid. HOFFMAN. Oper. tom. iii. ibid.

DE CAUSA PROXIMA.

XXVIII. De hac rei noſtræ parte fusè diſſerere, non opus eſt. Cùm enim ex cauſis (XXI.—XXVII.), quæ choleram concitant, tum ex curandi ratione, quæ, ut infrà (XLVI.—LI.) oſtendemus, proſperrimè cedit, *proximam* ejus cauſam eſſe concitatiſſimos inteſtinorum motus, qui ex morbida pendent (XX. 3.) irritabilitate, ſatis conſtat.

XXIX. Quod ad cauſas (XXVIII.) concitatrices attinet, animadvertendum eſt, earum plurimas, imo fortaſſe omnes, ventriculum et inteſtina, rectà vel minùs rectà, plùs minùſve afficere. Acria et concoctu difficilia, quibus, ut ſuprà (XXIV.) diximus, ſæpenumero concitatur cholera, ipſi ventriculo inteſtiniſque admoventur. Quin et, frigus et humor (XXV.), licèt externo admoveantur corpori,

tamen

tamen, exhalatione cutis ſuppreſsâ, et repulſis introrſum acribus quibuſdam, quæ, per cutem, corpore excerni ſolent, morbidos effectus in ventriculo potiſſimùm et inteſtinis edunt.

XXX. Ratio, porrò, medendi, opinionem (XXVIII.) de cauſa choleræ proxima traditam, adhuc veriſimiliorem reddit; quippe cùm, concitatiſſimis inteſtinorum motibus ſedatis, morbus protinus ſolvatur.

RATIO QUORUNDAM SIGNORUM.

XXXI. Singula hujus morbi ſigna nobis in animo non eſt ſpeciatim exponere. Hoc enim ſi faceremus, nimis profectò longi videremur. Quocirca, ſigna carptim tantummodo, prout digniſſima quæque videantur, hìc loci explicabimus.

XXXII.

XXXII. *Liquoris bilioſi vomitus*,—retrorſo *duodeni* motu flexuoſo efficitur; quo in ventriculum bilis, præter naturam, influit, et, præ acrimonia, hunc in validiſſimas incitat contractiones, quibus ſemet exinanire continenter ferme aggrediatur.

XXXIII. *Diarrhœa bilioſa*—eſt inteſtinis incitatiùs, propter magnam vim bilis, tum aſtringentibus ſe, tum relaxantibus tribuenda. Ob incitatiorem enim aſtrictionem et relaxationem, non ſolùm reliquiæ cibi, et mucus quo illinuntur inteſtina, ſed ipſa etiam bilis quæ ſuum illis colorem impertit, continenter ferè et ſolito uberiùs depelluntur.

XXXIV. *Sitis*,—qua areſcunt fauces eorum, qui cholerâ implicantur, initio fortaſſe bile in ventriculum infuſa efficitur; poſtea verò, quàm aliquandiu ſæviverit hic morbus, potiùs, ut præclaro GAUBIO videtur, miro fluidarum

fluidarum corporis partium diſpendio, quod continuæ ferme exinanitiones fecerint.

XXXV. *Anxietas*–attribuenda, fortaſſe, eſt ſanguini, ob ſpiritum imbecillum, per pulmones ægrè tranſmiſſo; vel, ut opinatus eſt Gregorius, pater, et quod profectò vero haud abſimile eſt, in vena portæ cumulato.

XXXVI. *Torminum*,—quibus, urgente cholera, affligitur ægrotus, cauſa videtur vehemens inteſtinorum deorſum motus, cui, in locis quibuſdam, remoramini eſt contractio ſpaſtica. Hac enim contractione motibus, ne deorſum propagentur, impeditis, inteſtina, quo in loco eorum motibus obſtatur, eo torquentur quaſi et graviſſimè dolent.

XXXVII. *Palpitatio cordis et ſingultus*,—quæ utraque, ſub finem choleræ, ſuperveniunt, et mali profectò ferme ominis ſunt, fibris

muſculoſis,

musculosis, præ exhausto propè jam corporis vigore, semet enormiter et raptim contrahentibus videntur effici.

XXXVIII. *Animi deliquium* et *surarum spasmi*,—quæ graviori choleræ supervenire solent, cordi debili et labanti tribuenda sunt. Vitale enim hoc organum labefactatum, satis magnam sanguinis vim in cerebrum, et extrema membra, propellere nequit. Deficiente autem vitali hoc latice, non solùm fatiscit cerebrum, atque labant vires, quæ, nisi ejus efficaciâ continenter et satis refocillentur, brevi prorsus extinguuntur; sed etiam extremæ corporis partes, quippe quibus, eam ob rem, vitalis et salutaris calor vi satis magna minimè evolvatur, frigore obrigent.

XXXIX.—1. *Sudor gelidus*,—cui inditum horridulâ medicorum linguâ est nomen *colliquativus*, pendet ex surculis arteriarum exhalantibus,

tibus, quibus excernitur ſudor, præ inſigni debilitate laxatis, ideoque partes ſanguinis, quales naturaliter non exſudantur, effundentibus.

2. *Frigus*—ex hoc ſudore, quod ſentit cùm explorans medicus tum aſtantes amici, vaporante ex cute humore efficitur.

DE DIAGNOSI.

XL. Morbi, quibus cum cholera intercedit ulla ſimilitudo, ſunt *diarrhœa* et *dyſenteria.*

XLI. *Diarrhœâ*—dignoſcatur cholera dejectionibus, ſignis comitantibus, diuturnitate et periculo.

1. Quæ

1. Quæ, urgente illo morbo, dejiciuntur, ea plerumque conſtant ex ingeſtis alimentis et naturali inteſtinorum muco; quæ autem, ſæviente hoc, ea, ut plurimùm, ex acriore bile. Verùm, licèt plerumque ita ſit, nonnunquam tamen, cùm gravior urget diarrhœa, fæces bile commixtæ dejiciuntur. Hujuſmodi diarrhœæ, quæ a CULLENO (*b*) et SAUVAGESIO *biliosa* haud ineptè appellatur, cum cholera magna eſt ſimilitudo; quippe cùm hanc non modò dejectionibus biliosis referat, ſed etiam eodem anni tempore et ſimili cœli conſtitutione homines afficiat. Internoſci autem eo poſſunt hi morbi, quòd, ineunte ferme cholera, bilioſæ plùs minùſve dejectiones conſpiciuntur, ſed non ita priùs in diarrhœa, quàm aliquandiu hæc perſtiterit.

2. Quod

(*b*) Vid. CULLEN. *Synopſ. Noſolog. Method.* edit. quart. tom. ii. gen. lxi. 2.

2. Quod ad ſigna comitantia attinet, obſervandum eſt, cholerâ correptum nunquam ferme non vomitu affici; ferè autem nunquam, diarrhœâ laborantem. Quinetiam, ſurarum ſpaſmi, quibus, dum ſævit ille morbus, ægrotus perſæpe affligitur, hoc implicitum rariſſimè infelicitant.

3. Memoratu, porrò, dignum eſt, diarrhœam curſum lentè abſolvere; dum cholerâ conflictantibus plerumque, ut poetæ ſublimis verbis utar,

——" *Cita mors venit, aut victoria læta* (*c*)."

4. Cholera, denique, periculoſus admodum morbus eſt; nunquam ferme ita diarrhœa, ni ſiquando morbis quibuſdam naturâ inſanabilibus, aut ſaltem ſanatu difficillimis, phthiſi nimirum pulmonum, et hydropi, ſupervenerit.

(*c*) Vid. HORAT. *Satir.* Lib. i. Sat. i. lin. 8.

XLII. *Dyſenteria*—et cholera internoſcantur cauſis excitantibus et proxima, dejectionibus, ſignis comitantibus, ſede, diuturnitate et periculo.

1. A. Quæ dyſenteriam concitat cauſa, ea eſt contagio ſpecialis, ſubinde claſſibus et caſtris ingenerata, et miniſteriis invicem vulgata, qualem autem verbis aptè definire nequimus. Choleram, contrà, nihil tale primùm concitat, aut poſtea vulgat concitatam.

B. Cauſa dyſenteriæ proxima, ex qua, intermedio nullo, ſigna enaſcuntur, eſt, ut Monroni videtur, inflammata tunica inteſtinorum villoſa, vel, ut Culleno placet, ſpaſtica horum contractio; ea autem, ex qua propria choleræ ſigna, motus inteſtinorum, præter ſolitum, irritabilium perturbatus, mirum in modum, et concitatus.

2. Qui

2. Qui choleram nacti sunt, ii copiosa perquam et biliosa cùm vomunt tum dejiciunt; parca autem admodum et mucosa vel sanguinolenta, imo sincerum sanguinem (*d*), quibus, porrò, insunt tam membranulæ quasi mucosæ, quàm globuli fæcum indurati, et massulæ albidæ sevosis consimiles, qui dysenteriam.

3. A. Huc accedat, quòd, ab ipso quidem initio, dysenterici febricitant; dum, qui in choleram inciderunt, iis, ad finem usque, a febre ferme semper integritas est, ni sicubi intermittente (XV. 5.) implicati sint infantes.

B. Dysenteria præterea, in primis autumnali, putrescunt, vel saltem quasi putrescere videntur, corporis humores; id profectò, quod cholerâ correptis nunquam, vel saltem ferè nunquam, accidit.

C. *Aphthæ*

(*d*) Vid. SYDENHAM. Oper. Univers. p. 180. et 601.

C. *Aphthæ* insuper, exeunte dysenteria, oris interna, faucesque sæpenumero obsident (*e*); id quod in cholera nunquam, quantùm scio, evenit.

4. A. Ad hoc, in dysenteria, in primis si in longum trahatur, omnia deinceps intestina, suo quodque deorsum ordine, affici videntur; donec omnis morbi vis in imum intestinum inferatur, et molestissimum tenesmum efficiat (*f*).

B. Cholera, licèt omnia itidem intestina plùs afficiat minùsve, tamen, ut liquet ex introspectis (XVI. 1.) cadaveribus, in ventriculum, præ cæteris, et duodenum sævit: neque profectò intestina solà, et ventriculus, patiuntur; sed etiam, mirum interdum in modum, ut suprà (XVI. 2.) diximus, et vesicula qua continetur

(*e*) Vid. Sydenham. Oper. Univers. p. 180. et 603.

(*f*) Vid. Sydenham. Oper. Univers. p. 180.

tinetur fel, et ductus per quem in duodenum fluit.

5. Dysenteria, porrò, eos inter morbos referenda est, qui longi appellantur; inter breves, contrà, cholera, "qui citò vel tollunt hominem, vel ipsi citò finiuntur (*g*)."

6. Utroque utique morbo vita persæpe vel extinguitur, vel in summum saltem discrimen perducitur. Verùm enim verò, hac de re, memoratu dignum est, dysenteriam, quamvis, auctore SYDENHAMO, adultis, maximè grandævis, haud raro exitialis sit, infantibus tamen perbenignam reperiri (*h*); dum, in AMERICA, ut certiores nos facit RUSHIUS, cholera, potissimùm si magno tempestatis calore vis ejus perquam intendatur, infantibus vixdum partis nedum bimulis summum sæpenumero

(*g*) Vid. CELS. *De Medicin.* lib. iii. cap. i.

(*h*) Vid. SYDENHAM. Oper. Univers. p. 180.

mero diſcrimen, imo citam haud rarò et præmaturam mortem, quotannis affert (*i*).

PROGNOSIS.

XLIII. 1. De eventu hujus morbi, ex ſignorum gradu præjudicandum vel præſagiendum eſt. Si perquam dolent inteſtina et flatu diſtenduntur, et æger dolore, qualis ventriculo efficitur eroſo, continuò angitur; malum eſt. Si ſitit admodum, et frigidos tantummodo potus petiſſit, malum iterum. Si, ineunte morbo, arteriæ quàm concitatiſſimè moventur, dum ſimul exæſtuat anxius æger; vel ſi, ſub finem, imbecilliter admodum et inæqualiter micant; malum quoque.

2. Peſſimum eſt, ſiquando ſudore gelido perfundatur æger; identidem animus deficiat;

(*i*) Vid. Rush. Opuſc. ſup. citat.

ciat; frigeſcant extrema membra; aut, ægro inſcio vel nolente, crurum et brachiorum muſculi contrahantur.

3. In lubrico verſatur is, cui cor magnopere palpitat; qui perpetuò vigilat; continenter fermè ſingultit; et urinam juſto tempore reddere nequit. In propinquo eſt mors, cùm ægroto totum corpus convellitur, atque cadaveroſa fit facies et liveſcit. Servari, demum, nequit is, qui ſincerum ſanguinem dejicit; quippe quia hinc apparet, gangrenâ inſanabili jam eſſe, aliqua in parte, vitiata inteſtina.

XLIV. His de malis (XLIII.—1. 2. 3.) ſignis cognitis, de iis, quæ proſperum exitum præcinunt, ubertim diſſerere non opus eſt. Si enim illa vel non adſunt, vel, medicinâ tempeſtivè adhibitâ, promptè cedunt; bonum eſt. Optimum quoque eſt, ſi viribus nondum

dum admodum fractis, motus enormes intestinorum consopiantur, vel, his etiam vixdum consopitis, morbus veteraverit; neque enim, rebus ita se habentibus, de ægroto desperandum est.

RATIO MEDENDI.

XLV. Quò curetur cholera, opus est,

Primò, intestina eluere;

Deinde, hoc facto, motus enormes consopire.

DE INTESTINA ELUENDO.

XLVI. Ut humoribus irritantibus exonerentur intestina, cathartica devorare non opus est (*k*); cùm præsertim illi ipsi intestinorum motus concitent, quales ipsos expellere possint. Quinetiam, qui hujusmodi humores catharticis

(*k*) Vid. Sydenham. Oper. Univers. p. 176.
Cullen. *First Lines*, § M.CCC.LXII.

catharticis expellere conatur, is, ut certiores nos facit SYDENHAMUS, multiplice experientiâ edoctus, idem agit, atque is, qui ignem oleo extinguere ſatagit; cùm hujus generis medicamenta, vel leniſſima, inteſtina magis perturbent, et novos inſuper tumultus excitent (*l*).

XLVII. Cùm ita ſit, in hunc (XLVI.) finem, tantummodo neceſſarium eſt, diluentia parcâ haud manu adhibere (*m*); quippe cùm et materiæ nocivæ acrimoniam obtundant, et, ut illa ex inteſtinis faciliùs eliminetur, efficiant. Quapropter, ex diluentibus quænam anteferenda ſint, quàm pauciſſimis, hìc loci, dicendum.

(*l*) Vid. SYDENHAM. Oper. Univerſ. p. 176.

(*m*) Vid. ARET. CAPPADOC. *De cauſ. et ſig. acut. morb.* lib. ii. cap. iv. ſub. init.
Necnon SYDENHAM. et CULLEN. loc. modò citat.

XLVIII.–1. *Aqua tepida,*—ut teſtantur Celsus (*n*) et Aretæus (*o*), commoda eſt; verùm ſubinde enimvero et parcè, ne in ventriculo fiant intentiones vacuæ, convulſioni ſimiles, adhibenda (*p*).

2. *Aqua, in qua cocta eſt pullaſtra,*—ita ut devoranti carnis ſaporem vixdum ſenſiferum impertiat, itidem acres inteſtinorum humores quàm optimè diluit. Hujuſmodi juſculi capaciores aliquot cyathos ut exhauriat æger, præcipiendum eſt. Eodem tempore proficiet plurimùm, idoneam ejuſdem quantitatem, clyſteris ope, per anum in inteſtina compluries immittere (*q*). Eidem, porrò, ſive hauſto, ſive per anum immiſſo, Sydenhamo mos erat lactucæ, violarum, porculacæ, aut nymphaeæ, unciam

(*n*) Vid. Cels. *De Medicin.* lib. iv. cap. ii.

(*o*) Vid. Aret. Cappad. lib. ii. cap. iv.

(*p*) Vid. Aret. Cappad. ibid.

(*q*) Vid. Sydenham. Oper. Univerſ. p. 176.

unciam admiſcere (*r*): hæc autem hodie, ex toto, exoleverunt.

3. *Aqua porrò coƈta ex avenacea farina*,—ad obtundendam humorum acrimoniam, teſte Sanderisio (*s*), multùm pollet; neque profeƈtò dubium eſt, quin, eundem in finem, ad aquam, qua coƈtum eſt hordeum, commodiſſimè decurri poſſit.

DE ENORMES INTESTINORUM MOTUS CONSOPIENDO.

XLIX. Acri materiâ elutâ, omnique intus diſcuſſâ cruditate, inteſtina, ſi etiamnum graviter tumultuentur, quàm primùm conſopienda ſunt

medicamentis,

(*r*) Vid. Sydenham. Oper. Univerſ. ibid.

(*s*) Vid. Sanderis. Opuſc. ſup. citat. p. 144.

medicamentis, ex iis quæ, irritabilitatem hebitando, eorum tumultum ſedant (*t*).

L. 1. *Miſſio ſanguinis, exulceratoria et fomenta.*—In hunc (XLIX.) finem, ſi, ineunte morbo, qua febris et inflammatio adſint, utile erit, ut certiores nos facit SANDERISIUS, ſanguinem, quantâ opus ſit copiâ, elicere; et externo, inſuper, abdomini emplaſtrum peramplum exulceratorium ſuperimponere. Interdum, porrò, ut cenſet idem auctor, in balneum tepidum ire, ægrum commodo haud aſpernando afficiet (*u*).

2. *Opium.*

(*t*) Vid. SYDENHAM. Oper. p. 177.

SANDERIS. Opuſc. ſuprà citat. p. 144.

CULLEN. *Firſt Lines*, § M.CCCC.LXIII.

(*u*) Vid. SANDERIS. Opuſc. ſup. citat. p. 144.—5.

2. *Opium.*—Efficacissima autem, ad quæ hoc (XLIX.) consilio decurri potest, sunt medicamenta(*x*), quibus inest opium. Hæc, quantitate satis magnâ, parvâ autem mole, liquida assumenda sunt (*y*); et, in provecto morbo, si jamadmodum conciderint arteriæ, et extrema frigeant, aromata quædam adjicere plurimùm proderit (*z*).

3. *Emollientià per anum immissa.*—A. Eodem tempore, ut scientes nos faciunt medici, jure magni nominis, CULLENUS (*a*), nimirum, SANDERISIUS (*b*), et GREGORIUS (*c*), commodissimum erit,

(*x*) Vid. SYDENHAM. Oper. Univers. Ibid.
CULLEN. *First Lines*, Ibid.

(*y*) Vid. CULLEN. *First Lines*. Ibid.

(*z*) Vid. SANDERIS. Opusc. sup. citat. Ibid.

(*a*) Vid. CULLEN. *First Lines*. Ibid.

(*b*) Vid. SANDERIS. Opusc. sup. citat. Ibid.

(*c*) Aud. GREGOR. Secund. EDINBURGEN. prælect. *De Cholera*, ann. M.DCC.XCIII-IV

erit, emollientia, quibus inſit opium liquidum, clyſteris ope in anum injicere.

B. Cholerâ laboranti plurimùm hoc proficere, ex propria experientia teſtari poſſum. Ad ægrum enim hoc morbo correptum arceſſitus, diluentibus primùm ubertim datis, opium liquidum, quò ſedaretur inteſtinorum tumultus, curavi. Hoc verò, vixdum devoratum, irritabilis perquam ventriculus illico reſpuit. Periclitato compluries nequicquam eodem, quid proficere poſſet, tandem abſtinui. Adeo jam ægroto conciderant vires, ut, in propinquo eſſe mortem, mihi videretur. Priùs autem, quàm eum omnino deplorarem, præcepi, ut, per anum, uſque ad quatuor ferme uncias, immitteretur amylum, in quo opii liquidi quadraginta propè guttulæ inerant.

C. Hoc facto, illico ferè ſtiterunt alvus et vomitus, atque arteriæ ſemet inceperunt attollere. Paulò pòſt, ægroto obrepſit optatus placidiſſimuſque ſomnus. Aliquot poſt horas, ex gratiſſimis hujus amplexibus experrectus eſt, plurimùm fotus et refectus. Exinde, vires morbo fractas paulatim collegit, atque firma nunc fruitur valetudine.

LI. Sublato morbo, convaleſcenti vires curaturâ reficiendæ ſunt; et ſedulò vitanda, quæcunque corpus infirment, laſſitudo in primis et frigora (*d*), donec priſtinum jam vigorem receperit.

(*d*) Vid. CELS. *De Medicin.* lib. iv. cap. ii.

FINIS.